

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechthildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

Caput XXXIII. Qualiter homo fidem suam deo recommendet.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

adjungat : *Deus, propitius esto mihi peccatori* ; sive hoc : O Agne mitissime, miserere mei ; quatenus per hoc ejus negligentia suppleatur. » Tunc illa dixit : « Et quid si hoc facere neglexerit, ut scilicet hoc ad omnes Horas non dicat ? » Cui Dominus : « Si post Horas legere neglexerit, dicat illud saltem in die septies, hora qua voluerit pro sua negligentia. Si enim hoc verbum, *Deus propitius esto mihi peccatori* (Luc. xviii. 13), in publicano tantum prævaluit, ut de omnibus peccatis suis justificari meruerit, cur non alius de negligentia sua veniam impetrabit ? Nam misericordia mea modo tantæ clementiæ est quantæ tunc fuit. »

CAPUT XXXIII.

QUALITER HOMO FIDEM SUAM DEO RECOMMENDET.

Si quis fidem suam Deo hoc modo recommendaverit, hanc gratiam ab eo consequetur, ut in fine vitæ suæ nunquam in vera fide tentetur. Primo igitur, homo fidem suam Patris omnipotentiae recommendet, orans ipsam in virtute divinitatis sic firmari, ut nunquam a recta fide valeat declinare. Secundo, committat eam Filii Dei inscrutabili sapientiæ, orans quatenus ipsam luce divinæ agnitionis illustret, ut nunquam erroris spiritu seducatur. Tertio, benevolentiae Spiritus Sancti eam reconsignet, supplicans ut fides sua per dilectionem omnia in eo sic operetur, ut perfecte consummatus in hora mortis inveniri mereatur.